

Summblatt

*M-s. 201
3.*

295.

9

VARIA
V. T. LOCA
OPE EXERGASIAS
EXPLICATA

QVIBVS

VIRO PLVRIMVM REVERENDO

PETRO WICHMANNO

VERBI DIVINI AD AEDM D. MAR. MAGD. MINISTRO

FIDELISSIMO

FELICEM ANNI LXIII. EGRESSVM

GRATVLATVR

IOANNES HENRICVS MVTZENBECHER

S. S. THEOL. CVLTOR.

HELMSTADII

STANNO DRIMBORNIANO MDCCLIII.

VARIA
Y T. LOCA
OPR. EXERCITIAS
EXPLICATA

VIRO TIVIMY I REVERENDO

PETRO WICHMANNIO

VERBI DIVINI AD AEDM II MAE MAGO MISTRO

FELISSIMO

FELICEM ANNI EXIII. EGRESSVM

GEARVATA

IOANNES HENRICVS MÜNCHINGER

A. S. LITTOE. LITTOE.

HELMSTADII

STANZO DRIMBOKIANO MUCOLII



§. I.



uum nonnulla V. T. loca, figurae, quam diuinarum oraculorum Interpretes *ἑξεργασίας* nomine insignire voluerunt, auxilio, occasione ferente, explicare constituerim, meum, esse iudicavi, cum omnis, quae de re aliqua instituat^r disputatio, a vocabulis recte definitis, proficisci debeat, vt, quid sit, de qua disputetur, facilius intelligi possit, indicare, quid hoc vocabulo sibi velint ii, quorum indefessum in eruendo veritatum diuinarum sensu studium immortalem meretur laudem, vt ostendamus, qua ratione rectus cautusque vsus praeiudicatis quibusdam opinionibus feliciter occurrere, lucemque non contemnendam locis, quorum interpretatio difficilis admodum videtur, affundere possit. Neque cum iis acriter contendendum esse arbitror, qui nimia pietate inducti, omnes omnino e codice sacro eli-

A 2 *quod adhibet se hoc* minan-

minandas esse figuras clamant, nullo alio argumento vfi quam, quod simplicitati & perfectioni stili, quas tanto-
 pere vrgent, admissis figuris officeretur. (a) Neminem
 enim, qui naturam & indolem linguarum perspectas habet,
 fugere potest, singulas suo gaudere genio, & in describendis
 rebus mox aliquid ad maiorem perspicuitatem, vim &
 elegantiam indicandam addi, mox ex altera parte non-
 nulla ob affectus vehementiam aliasque causas demi, quo-
 rum tamen vtrumque ipsius linguae perfectioni nihil de-
 trahit. (b) Maximo igitur iure ii, qui ad codicem sacrum
 enucleandum operam suam contulerunt, linguae san-
 ctae id tribuerunt, quod omnibus aliis solemne est, tro-
 pos scilicet & figuras, quibus, si legitime adhibueris, ma-
 xima inest gratia ac pulchritudo. Harum autem e nu-
 mero

(a) Inter hos agmen quasi ducit
 FRANC. WOKENIVS, Prof.
 olim Viteberg. qui primum in
 dissertatione quadam, cui index:
 Sermonem ellipticum in historia
 Israelis non adesse Viteb. 1730.
 omnes ellipses e codice sacro V. T.
 expellere voluit, adde eiusdem
 dist. de Pietate Critica ibid. 1731. §.
 23. Eundem laborem continuavit,
 quod scilicet ad Ellipses attinet, in
 peculiari libro, qui inscribitur:
 De ellipsis e biblico textu He-
 braico sollicite eliminandis Witteb.
 1732. 4. quem librum denique ex-
 cepit Pietas eius Critica in quo
 contra omnes figuras insurrexit.
 Cfr. quo ad ellipses SAM. FRIE-
 DER. BVCHERVM in Anti-
 quit. bibl. ex N. T. selectis pag.
 1063. Quod ad reliquas figuras

attinet ENGELKENIVS & F.
 H. POLEMANNVS contra
 Pleonasmus; 10A. POLE-
 MANNVS contra Ennallagen,
 & DAN. GERDESIVS, in Ve-
 speris Vadenibus 1727. editis con-
 tra Hyperbolas calammum strinxerunt.
 Vsum tamen, sicut in aliis,
 hac quoque in re, ab abusu caute
 esse distinguendum, nemo non fa-
 cile perspiciet. Cfr. b. VAL.
 ERN. LOESCHERVM de
 Causis Ling. Hebr. L. II. C. II.
 p. 431. fqq.

(b) Grauem propterea dicam WO-
 KENIO scripsit b. SCHOET-
 GENIVS in praefatione ad
 CHRISTO. THEOD. WAL-
 THERI ellipses Hebraicas.
 Dresd. 1740. 8.

mero ipsa illa est, quam iam nominauimus, figura, ἐξερ-
 γασία dicta, quae est eiusdem rei varia descriptio, lo-
 cutionumque idem valentium grata uilisque coaceruatio.
 Fateor equidem, magnos in Philologia sacra viros, FLA-
 CIVM, (c) scilicet & GLASSIVM, (d) eam, si nomen spe-
 ctes, non memorare, neque tamen postea natam existi-
 mabis, si illum talem vocabulorum repetitionem ad ται-
 τολογίαν, hunc ad Pleonasmos reiecisse cognoueris. Et
 habuerunt certe rationes suas non leues, quibus permoti
 his figurarum classibus eam adscribendam esse censuerunt.
 Cum enim vtraque vnam eandemque diuersis rem vocabulis
 describat, statim patet, eiusdem esse cum exergasia indolis.
 Neque ad rei denominationem plus respiciendum esse
 quam ad ipsam rem, facile quiuis mihi largietur: quare
 vtramque denominationem facile ferri posse existimo. Quam-
 quam enim tum ταυτολογία tum Pleonasmus inter oratio-
 nis vitia recte numerantur, ea nempe conditione, si otiose
 vnam eandemque rem, & leuem quidem, nulla urgente
 causa, locutionibus, absolute paribus expriment, & ται-
 τολογίας nomen, quod melius βαττολογίαν diceres, per se
 iam fit taediosum, attamen, cum vnaquaeque rem prius ge-
 neraliter quodammodo indicatam distinctius explicet, va-
 riisque sub relationibus consideret, non possunt non mul-
 tum ad orationis perspicuitatem & iucunditatem conferre.
 Qua de causa etiam factum est, vt tum Oratores, tum

A 3

Poetae

(c) Vid. FLACIUM in Claudii S.
 S. Tom. II. pag. 173. Meminit ta-

men Epexergasias p. 181.
 (d) in Philologia Sacra p. III. 906.

Poetae ea frequentius in rebus vel iucundis vel grauibus
 vti sint, quorum e grege, ne prorsus, vt aiunt, sine sym-
 bolo, discedamus, in praesenti laudasse sufficiat CICERO-
 NEM ^(e) atque OVIDIVM. ^(f) Quae vero cum ita sunt,
 nescio, quare id, quod profanis scriptoribus in laude po-
 nitur, iis, quos in conscribendis literis sacris impulsu suo
 dignari voluit summum nūmen, denegemus, cum &
 praeter dignitatem gravitatemque argumenti, ipse dicendi
 mos eiusmodi ornatum postularet.

§. II.

Quodsi autem attentius paullo textum sacrum confu-
 lamus, reperiemus, non omnes scriptores sacros hanc fi-
 guram aequali numero adhibuisse. Ii enim qui historicas
 res nobis descripserunt, parcius illam in subsidium vocant,
 in rebus scilicet magni momenti; ^(g) quam vates, & qui
 inter metricos auctores numerari vulgo solent. Neque id
 sine causa fecisse putandi sunt, cum historica dicendi
 ratio plana atque perspicua frequentiorem vnus rei repe-
 tionem natura sua respuat; cum e contrario stili prophe-
 tici sublimitas, res grandes & meditatione dignas, ob-
 scurius, si nostrae linguae genium spectes, describens, ex-
 plica-

(e) In Somnio Scipionis Cap. vi.
 vbi, Nam eorum animi, inquit,
 qui se corporis voluptatibus dedi-
 derunt, earumque se quasi mini-
 stros praebuerunt, impulsuque
 libidinum, voluptatibus obedien-

tium, Deorum & hominum iura
 violauerunt. e. s. p.

(f) Ovidium Tristium L. III. v. 99.
 Vt via finita est & opus requie-
 vit eundi.
 (g) Gen. I. 26. Exod. XXXIV 6. 7.

plicationem aliquam ab ipso auctore desideret, ne verba pro libidine interpretum, figuratam locutionem Orientalium non solide perspicientium, in omnes formas conuerterentur. Accedit poesis Hebraeorum ^(h) non in metro aut rythmo, qui post Masoretharum demum tempora ab Arabibus excogitatus est, consistere, sed in stilo sublimi apophtegmatice & conciso, qui magis sententias acute prolatas, quam verborum ligaturam curat: vnde & משלים & חירות ⁽ⁱ⁾ appellari solet, quorum illud a comparatione, in acutioribus dictis praesertim obuia, hoc autem a ratione nodosius aliquid proponendi, descendit. Multum igitur ad elegantiam & perspicuitatem haec figura, qua nihil in libris propheticis & poeticis frequentius est, confert, de cuius natura & indole, si quis plura scire cupiat consulendi sunt SCHOETGENIUS ^(k) atque WOLLIVS ^(l), qui plura huc spectantia diligenti & erudito calamo traderunt. Quorum quidem e dissertationibus, cum monuerimus, modo duas, modo tres propositiones, quae mox affirmantes, mox negantes, mox mutuae sunt, adhiberi, ex quibus hanc figuram adesse colligere potes, ^(m) nil superest, quam vt veniam iuuentuti nostrae rogemus, si forte

^(h) Diuersas eruditorum de Poesi Hebraeorum sententias cognoscere potes ex S. R. IO. GOTTL. CARPZOVII Introd. in libr. Canonic. Vet. Test. P. II. p. 3. sqq.
⁽ⁱ⁾ Pf. XLIX, 5. LXXVIII, 2.
^(k) in diss. de Exergasia, quae subiuncta est Tom. I. Horarum He-

braicarum & Talmudicarum.
^(l) in diss. περί ἰσοδυναμίας καὶ συνανομίας Lipsiae 1727. praefide S. R. CHR. FRIDR. BOERNE-RO habita.
^(m) vid. Pf. I, 1. Ier. XLII, 8. Ier. V, 28. Ioh. I, 20.

forte quaedam non semper acu tetigerimus, aut argumentis, dignitati rei imparibus sententiam nostram corroborauerimus.

§. III.

Primus autem in censum nostrum venit celebris ille, quem Iesaiæ cap XL.v.3. legimus, locus, cuius verba in fonte sic fluunt. פְּנֵי דְרָגָה יְהוּזָה יִשְׂרָו קוֹרָא בְּמַרְבֵּר פְּנֵי דְרָגָה יְהוּזָה יִשְׂרָו : בעֲרֵכָה מְסֻלָּה לְאַלְהֵינוּ : Notum est, in duas potissimum partes, si translationem spectes, interpretes abire, quarum quaelibet grauibus non destitui videtur argumentis, de quibus tamen recta figurae nostrae applicatio facile iudicium feret. Constat enim inter omnes, eos, qui hunc locum explicandum sibi sumserunt, (h) haerere, vtrum vocabulum בְּמַרְבֵּר referendum sit ad praecedens קוֹרָא, an potius ad sequentia יְהוּזָה יִשְׂרָו. Qui priorem amplectuntur sententiam, praeter id, quod commodum sensum gigni asserunt, ad noui foederis scriptores vnanimi fere consensu prouocant. Sic enim diu. MATTHAEVS (o) : Πάνη βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ; quo cum faciunt reliqui omnes qui in describenda Christi vita Ioannis Baptistae mentionem fecerunt. (p) Quantum vero roboris huic argumento insit, ii disquirant, qui allegationes V. T. dictorum in N. T. accuratori subiecerunt examini. Neminem

(h) In Compendio eos exhibet HENR. BENED. STARKIUS in not. selectis ad h. l. p. 77.

(o) Cap. III. 3. (p) Marc. I, 3. Luc. III. 4. Ioh. I, 23.

minem enim, neque mediocriter in lectione versatum, fugit, scriptores Noui foederis ex versione, quae LXX. Interpretibus adscribi solet, loca allegasse, quae ad hanc illamue veritatem demonstrandam necessaria esse duxerunt, quippe quae versio ob generalem linguae Graecae usum maximo in pretio apud Iudaeos erat. (q) Mallem igitur hoc modo nodum soluere, quam in doctissimi ceteroquin, IVNII sententiam ire, (r) qui signum interpunctionis ab ἐν τῇ ἐρήμῳ ad βοῶντος reiciendum esse arbitratus est, quo nodus non soluitur sed potius fecatur. Quamquam enim distinctionis signa in N. praesertim T. manifestae nouitatis non sine causa arguuntur a Viris in Critica arte probe imbutis, (s) mea tamen ex sententia priorem modum huic anteferrem, cum ipsa versionis Alexandrinae euolutio totalem cum N. T. scriptoribus consensum luculenter ostendat (t). Praeterea autem pro eorum qui מִרְבֵּר ad sequens פָּנִי referunt, sententia, pugnat illa, quam inter accuratioris interpretationis subsidia merito numeramus, figura, ἐξεργασίας nomine Interpretibus veniens. Huius enim indoles, vt supra indicauimus, postulat, vt vna eademque res duabus propositionibus maioris

B perspi-

(q) Vid. CARPZOVIVM in Critica Sacra P. II. C. 2. §. 7. & IOH. GEORG. OLBERS de causis dissensus inter textum originale & versionem τῶν ἑβδομήκοντα §. 2. quod schediasma existat in den Bremisch Werdischen Hebräer T. I. p. 239. 199., quem librum cu-

rae S. R. PRATIENI, debemus, (r) in Parallelis sacris p. m. 140.

(s) Vid. RVMPAEVM in Critica Sacra N. T. p. 160. 199.

(t) Illa enim prorsus ad mentem & distinctionem Matthaei & reliquorum transtulit.

perspicuitatis causa describatur. Quod quidem hoc in loco a vate diuino factum esse ipsa priorior vocabulorum collatio apparenter docet. Nihil enim aliud Iesaias priori versus membro indicare vult, quam posteriori, quo singula verba, singulis in priori hemistichio adhibitis exacte respondent. Primo enim **יְשַׁרְנִי** eadem, vt Grammatici loqui amant, coniugatione Piel opponitur antecedenti **פָּנִי**; vtrumque autem verbum de praeparatione adhibetur. (u) Dein **מְסִלָּה** respondet vocabulo membri prioris **דֶּרֶךְ**. Quanquam enim hoc viam, illud autem semitam proprie significare solet; ipsum tamen **מְסִלָּה**, tanquam pars viae, quam viatores ob commodam eundi rationem ceteris praeferunt, ipsam viam denotare solet (v). Denique **לְאֵלֵהֵינוּ** pari passu cum **יְהוָה** ambulat, licet videri possit diuersam esse verborum nexum cum hoc sine **ל**, illud autem cum **ל** construatur. Praeterea enim quod litera haec, vocabulis nonnullis saepius praefixa, multis in locis desit, ipsum verbum **פָּתַח** simili modo a Iesaias constructum esse legimus. (w) Non igitur sine ratione concludimus, vatem diuinum vocabulum **מְרִבֵּר** cum verbo suo coniunxisse, quemadmodum in posteriori membro **עֲרִבָה** a peculiari verbo regitur. Accedit **מְרִבֵּר**, quod *τόπος ἔρημος*, locus desertus, vulgo verti solet, non praecise denotare locum sterilem, tristem & omnibus rebus destitutum, sed potius

(u) Prouerb. III, 6. Pf. V, 9. Ies. XLV, 13. LVII, 14. LXII, 10. (v) Ies. XXXIII, 21. Prou. XVI, 17. (w) Ies. LXII, 10. Mal. III, 1.

humani generis redemptore Messia, ^(d) cuius infinita vis & sapientia homines longo post se relinquit interuallo. Pergit igitur primo huius versus membro omnes populos in relatione ad Messiam considerare, sicut guttulas & pulverem lancium (i. e. prouti DAVIDES ^(e) effert, homines coram DEO reputari sicut nihil & minus nihilo.) & insulas, s. insularum habitatores sicut pulverem tenuem, quem scilicet sustulit ventus. Sic enim vltima verba הן אִימִים כְּרֶקֶק יִשׁוּרֵל reddenda esse existimo. Opponuntur enim אִימִים insulae, s. potius ex trita illa rei contentae pro contenta permutatione, ^(f) insularum incolae אִימִים כְּרֶקֶק in priori membro; רֶקֶק autem quod a verbo רָקַק contriuit, proficiscitur, & omne tenue indicat, cum sit natura sua adiectiuum, lectori vocem aliquam subintelligendam relinquit, quam nullam esse posse praeter אֶבֶק pulverem & contextus ratio & ipse Iesaias ^(g) testatur. Respondet igitur praecedenti שֶׁחֶק, quod itidem a verbo שָׁחַק descendens, pulverem attenuatum significat. Littera כּ autem רֶקֶק praemissa lectorem remittit ad antecedentem copulandi modum, vbi verbum חֶשֶׁב cum ea constructum legimus; vnde & sequens verbum יִשׁוּרֵל elliptice ponitur, subintellecto pronomine relatiuo & vocabulo רִיחַ ^(h) Quare si pressius verteres lo-

cum,

(d) Totum nempe caput Iudaei exponunt de Messia, quorum testimonia vide apud VOISIN in notis ad MARTINI pugionem fidei p. 126. adde MARTINVM ipsum p. 353. edit Paris. 1651. & B. I. A. DANZIVM in diss. de lu-

auguratione Christi §. 47. seqq.

(e) Pf. XXXIX, 6. LXII. 10

(f) Vid. GLASSIVM in Philot. Sacr. p. m. 1070. sqq.

(g) Cap. XXIX. 5.

(h) WALTHERVM l. c. p. 64.

cum, pro Tremelliana, quae sic habet: *En! insulas ut rem minutissimam depositurus est, substitueres: Ecce! insularum incolae sicut pulvis attenuatus, quem sustulit ventus, reputabuntur.*

§. V.

Similiter quoque eiusdem Capituli v. 27. clarius affunditur lux huius figurae applicatione. Sensus enim vocabuli **קִטְפָּט**, quod B. Lutherus transtulit: *Recht*, magis restituetur, si obseruemus, vocabulum hoc eiusdem esse cum praecedenti **רָרַר** significationis. Vtrumque enim saepissime consuetudinem siue morem denotare, locorum collatio luculenter demonstrat. (i) Idem etiam vir sanctus in posteriori membro per **עָבַר** effert, quod priori per **סָתַר** indicat. (k) Transisse enim omne id dicitur stilo biblico, quod nostram cognitionem fugit, siue hoc fiat ex debita attentionis neglectu, siue ex eo, quod nunquam in cognitionem nostram venerit. De DEO igitur cum adhiberi soleat hoc verbum, ex mente eorum, qui eo vtuntur, nihil aliud est, quam DEVM non curare actiones humanas, qua vero sententia, omnis pietas, religio, fides & sanctitas tollitur, vt CICERONIS verbis vtat. (l) Melius propterea hoc vocabulo indicari dices actiones, quam ius, sicuti etiam **רָרַר** nulla alia tribuenda est significatio. De re

B 3

ipfa

(i) Num. XXVII, 11. XXXV, 29.

Gen. XXXI, 35.

(k) Pf. X, 11. coll. Am. VII, 8. Pf.

CXIX, 13. coll. Am. VIII, 2.

(l) de Natura Deorum Libr. I. C. 2.

ipsa autem confer quae eleganti stilo tradidit Dauides in libro Psalorum. ^(m)

§. VI.

Iungimus huic loco Cap. XLI. v. 9. vbi interpretes sibi non constant in explicatione vocabuli מַצִּיִּיָּהּ. Sunt enim non pauci, inter quos etiam est LUTHERVS atque TREMELLIUS, qui versionem Alexandrinam secuti, ⁽ⁿ⁾ per principes siue selectos vertendum esse volunt. Facile tamen, si quid iudico, antefendus est significatus extrematis, quam arcta verborum similitudo iure postulare videtur. Vult enim vates diuinus populum Israeliticum magna illa, quibus DEVS eum affecerat, beneficia in memoriam reuocare, vt illa animaduertentes, magis magisque spem atque fidem in veri Dei auxilio collocarent. Hac de causa credentes in Iehouam alloquitur, animum eorum firmissimis corroborans argumentis. Repetit enim, illos esse populum selectum, quem e finibus terrarum apprehendisset DEVS. Sic enim verbum מַצִּיִּיָּהּ explicarem, non vero, prouti in antecedentibus venit, notione erigendi. Textus enim ratio docet respondere מַצִּיִּיָּהּ quod auocare denotat ab iis, quibuscum hucusque versatus fueris. ^(o) Vnde, ni fallor, praeferenda est explicatio eorum, quiprehendendi significatu sumunt, vt scilicet indicaretur maximus DEI erga hunc populum fauor, quo factum esset, vt

^(m) Ps. X, II. XCIV. 7.

ἐκαλήσά με.

⁽ⁿ⁾ Haec enim sic: ἐν τῶν σκοπιῶν ^(o) Is. XLVIII, 12.

vt eum prae reliquis omnibus in mancipium sibi vindicasset. Ex eadem autem observatione intelligitur, idem quod membro priori sunt **מִקְצַת הַהָרִי**, in sequenti esse **אֲזַלִּים**, quod, si ab **אֲזַל** deriuaueris, omne id indicabit, quod segregatum & ab aliis sepositum est. Non igitur sine ratione principes (p) hoc vocabulo insigniuntur, non quidem, quia, prouti **στοκίως** (q) explicat, ab aliis separati & quasi sepositi sunt, sed quoniam hi, qui montem cum Mose & Aarone ascenderunt, ab aliis Israelitis selecti erant. Ipsam autem rem, segregationem nimirum ab omnibus aliis populis, Abrahami tempore factam, (r) faepissime Moses ingrato & contumaci populo inculcat, (s) ne magni illius honoris obliuiscerentur, quo verae eorum, tum temporali, tum aeternae saluti prospectum erat. Hac autem segregatione ab omnibus populis, qua Deus magnum suum fauorem eminentiori modo testatus erat, utitur Propheta ad corroborandum animum, ne, cum populus tanta multitudine idolorum castra sequeretur, pauci, quorum mens recta erat & sana, metu perculsi, timentium more, respicerent, & a vehementioribus hostium insultibus vexati, omnem remitterent animum. Hoc enim sibi vult vocabulum **ו. יו. תִּשְׁתַּע**, quod minus recte a **תִּשְׁתַּע** errare, fugere, nonnulli deriuandum esse statuunt, (t) cum potius a **שְׁתַּע**

(p) Exod. XXIV, 11.

(q) in Clauī S. S. p. 88.

(r) Gen. XVII, 8.

(s) Deut. VII, 6. XIV, 2. XXVI, 18.

(t) ex. gr. LXX. Intit. qui habent

πλανῶ. Neque scio, utrum B. Lutherus, qui per *weichen* reddit, idem in animo habuerit nec ne? Simili tamen phrasi verbum **תִּשְׁתַּע** transtulit Ps. CXIX, 10

שָׁפָה respexit, 'descendat. Neque dubium mouere potest transpositio literarum ת & ש; hanc enim solemnem esse in Hitphael Grammatici docent, inter quos consule DANZIV M. ^(u)

§. VII.

Prodeat denique ex locis in Iesaja huc pertinentibus Cap. LXVII, 11. quem diuerso modo in versionibus expressum legimus. Difficilem autem illum reddit vocabulum שְׁתַּרְתֵּהּ, quod in versione sua LXX. illi interpretes, nescio, qua ratione, inducti Βοθυδς, reddiderunt, nisi diceres illos pro שְׁתַּרְתֵּהּ legisse שְׁחִירָה, pudenda certe ἀβλαψία, quam tamen illis familiarem esse iam multis exemplis probarunt eruditi. ^(v) Neque verum huius vocabuli sensum assecuti videntur LUTHERVS & TREMELIVS, quorum ille vertit, *das du nicht weißest wenn es daher bricht*; hic autem, *cuius ignoras ortum*. Tota enim verborum series huic explicationi repugnat. Quodsi enim accuratius considerentur ea, quae Propheta Israelitis minatur, facile apparebit, in priori hemistichii membro totidem verbis illud dici, quod in posteriori luculentius paullo descriptum est. Magnam enim calamitatem, eis annunciat, & quidem talem, qualem sceleribus suis promeruisent, certissimam nempe, quam non possent expiare. Sic enim in posteriori membro וְהַפֵּל עֲלֵיךָ הָרָה spon-

(u) Gramm. §. 41. III. 4. litt. β.

(v) Cfr. praeter OLBERV M loc.

supra cit. p. 241. CARPZOVIV M in Crit. Sacr. P. II. c. 2. §. 6.

spondet verbis antecedentibus וְכָא עֲלֵיךָ רַעָה, unde quod in illo est כְּפָרָה in hoc per שְׁחָרָה exprimitur. Illud autem כְּפָרָה est Infinitivus coniugationis, quam Grammatici dicunt Piel, quare & שְׁחָרָה pro eodem reputamus, licet leui & vsitata permutatione a regulari formatione discedat; (w) vt igitur, quod obiter addo, Buxtorfivs (x) hanc vocem minus recte pro substantiuo habeat, Vim autem vocabuli cum Paraphrase Chaldaeo recte perspexit Seb. Schmidvs, (y) qui per deprecari reddendum esse existimavit. שְׁחָרָה enim, quod vi sua natiua nigrum esse denotat, ob cognatum substantiuum, quod auroram indicare solet, de iis adhibetur, qui mane aliquid faciunt. Mane autem aliquid facere idem est, ac sollicite magnoque cum studio facere, (z) vnde de iis, qui peccatorum, quorum poenitet, vi anguntur, vsurpatum, indicat, veniam eorum quaerere, & poenas iustas deprecari. Testes hac in re habemus, IOBYM, (a) DAVIDEM, (b) atque HOSEAM, (c) quorum vnusquisque hunc significatum confirmat. Vnde si non melior, intentioni tamen diuini scriptoris convenientior, euaderet sensus, si verteres: *quod non potes deprecari, quoniam*

(w) Expulso scilicet Dagesch forte ex ה non compensato per vocalem longam vid. DANZIVM l. c. §. 20. obs. I. coll. §. 13. l. 4. obs. I.
(x) in Lexico minori pag. 797.

(y) in Comm. ad h. c.
(z) Vid. FLACIVM in Clavi p. m. 614.
(a) Cap. VIII, 5.
(b) Pf. LXXVIII, 34.
(c) Cap. VI, 15.

quoniam scilicet ob infelicem peccandi habitum, sacrificia tua DEO minime accepta esse possunt. (d)

§. VIII.

Iam nos accingimus, ut his locis e Prophetarum primo allatis, alia subnectamus, ex Psalmodum libro petita. Occurrunt autem in eo huius generis plurima, quae, si omnia colligere vellemus, iusta magnitudinis librum facile confici posse arbitror. Delibabimus vero pro instituti ratione pauca, ne prorsus ἀσυμβολῶς discessisse videamur, oculum simul intendentes ad egregiam B. LUTHERI nostri versionem. Offert se autem nobis primo loco Ps. VI. 6. cuius verba, si fontem consulamus, si fluunt: מִי יוֹדֵה לָךְ בְּמִוֶת וְכִרְךָ בְּשִׂאוֹל מִי יוֹדֵה לָךְ. Omnis quae hunc locum premit, difficultas, eo redit, ut verum vocabuli שִׂאוֹל sensum indicemus, quem etiam viri artis criticae & Hebraicae linguae peritissimi erudite demonstrarunt, cuius autem veritas ἐξεργασίας ope mirifice vindicatur. Totam enim odae sacrae humilissimas Davidis preces, ad DEVM fusas, complectitur, quibus permouere vult Iehouam, ut sui misereatur, gratiamque ei exhibeat, ne viuientium societati ereptus, laudes eum celebrandi intermittat. Hanc ob causam argumentum petit de statu eorum, qui vita iam functi sunt. *Nulla enim, inquit, memoria tui est in morte*, quae verba non hoc modo interpretanda sunt, ac si Dauides animae immortalitatem sustulisset, quippe qui probe gnarus

(d) Cfr. Ies. I, 11. Ierem. V, 20. Am. V, 21.

gnarus erat, superesse post hanc vitam, aliam, quae amicos, morte a se inuicem diuulsos, denuo iungeret, ^(c) sed hunc potius admittunt sensum, quod mortuis non tam opportuna & ampla daretur occasio DEVM celebrandi, quam iis, qui vita fruuntur. Recte igitur in priori hemistichii membro וְכִרְךָ יְיָ־הֵלֵךְ opponitur sequentibus verbis וְיִזְכְּרְךָ הַיְיָ. Homini enim cum recordatio DEI tribuatur, memoriae huic frequenter laudis & honoris quid admixtum esse solet, prouti varia codicis sacri loca diserte testantur, ^(f) & diligens ille oraculorum sacrorum interpres, FLACIVM puta, ^(g) apposite monet. Nullum igitur remanere potest dubium, quin שְׂאוֹל respondeat כְּמֵת cum vnam eandemque rem indicare ipse connectendi modus indicet. Non igitur falluntur ii, qui significationem טָעַם שְׂאוֹל quaerunt cum מֵת conspirantem, quarum nulla conuenientior est illorum, qui per sepulcrum exponunt. Manifesta enim est mortis cum sepulcro conuenientia, quam etiam ipsa vocabuli Hebraei deriuatio non respuit. Descendere nempe videmus שְׂאוֹל a שָׂאָל, *petere*, quasi dicas, sepulcrum insatiabili flagrare cupiditate viuos ad se trahendi; quapropter etiam in codice sacro impii, qui omnibus modis probos e medio tollere quaerunt, comparantur cum sepulcro. ^(h) Similiter & sapientissimus Regum sepulcrum

(c) Vid. 1 Sam. XII. 23. quo in loco non obscure de animi immortalitate disertit.

(f) 1ef. LXIV. 4. XXVI. 8. Pf. XLV. 18.

(g) in Clauī T. I. p. m. 607. vbi di-

serte, adductis Psalmi citati verbis: Bis, inquit, idem dicit, pro: quis te celebrabit?

(h) Pf. V. 10.

pulcrum iis rebus annumerat, (i) quorum cupiditati nunquam fit fatis. Plura de huius vocabuli significatu non cumulabimus, videndi sunt praeter Interpretes ad Pf. XVI, IC. IOAN. FRISCHMUTHVS, (k) & qui instar omnium est IAC. WINDETVS. (l) Vigebimus tantum, praeter vocabulum ipsum, alia codicis sacri testimonia, quae huic sententiae fauent, inter quae iure suo numeramus IESAIAM, testem omni exceptione maiorem. (m) Neque longe recedit ipse Dauides, qui de illis, qui רומה descendunt aperte dicit, eos DEVM non celebrare. (n) Qui autem, in רומה descendit, cum eo, qui in foueam, i. e. in sepulcrum migrat, pari passu ambulare dicitur, רומה enim, quod proprie silentium denotare solet, nonnunquam ipsum sepulcrum significat, quia, ibi omnia silent, (o) & mors cum somno saepissime comparatur. (p) Melius igitur, ne ambiguus oriatur sensus, pro verbis LUTHERI, *wer wird*

(i) Prouerb. XXX. 16.

(k) in diff. de Messia in sepulcro non relinquendo Cap. I. §. 14.

(l) de vita functorum statu p. 20. Cfr. plures scriptores apud B. I. C. WOLFIVM de Manich. ante Manichaeum sect. 2. §. 6. p. 44. adde Iob. XVII, 13. coll. V. 1.

(m) Cap. XXXVIII, 18.

(n) Pf. XXVIII, I. CXV, 17. Cfr.

Ies. XIV, 19. vbi pro רומה est

בּוּר, loco בּוּר autem ipsum no-

strum reperitur שׂוּל Gen.

XXXVII, 35.

(o) vnde & apud gentiles Pluto dicitur Rex silentium. Vid. OVI. DIVM Metam. L. V. v. 356. & Iudaei recentiores angelum mortis, de quo multa nugantur dicunt

רוּמָה vid. BVXTORFIVM in lexico Talmud. hac voce. & pluribus E. F. NEUBAVERVM in diff. de Angelo mortis Hal. 1727.

(p) De eleganti hac comparatione vid. Ier. LI. 1. 39. 57. Matth. IX, 24. & de profanis DANZIVS in Interpret. §. 189. not. a. p. 308. sqq. edit. maior.

wird dir denn in der Hölle danken? exergasia vrgente, substitueres, wer kann dich denn doch im Grabe verberlichen?

§. IX.

Excipit hunc locum alius, qui exstat Pf. VII, 6. & in quo, ne nimis a via regia aberremus, vltima tantum verba considerabimus, quorum verum sensum nos exergasias operuere posse persuasi sumus. Sic autem diuus Rex, postquam integram scelerisque puram viuendi rationem Deo quasi in memoriam reuocasset, simulque auxilium eius contra infensissimum hostem Simei implorasset. וְכִבְרֵי לְעָפָר יִשָּׁבוּ & gloriam, inquit, meam pulueri cohabitare faciat. Quiuis lector, vel me tacente, vidit ancipitem reddere sensum vocabulum כִּבְר, quod proprie gloriam siue honorem denotare solet. Neque pertinaciter negauerim, commodum satis emerfurum esse sensum, si hac explicatione acquiescere velis. Nescit enim Dauides vehementes querelas, contra virum, maximis conuiciis scelerate eum inuadentem (q), quibus honor, ipse debitus, quam maxime erat laesus. His tamen libenter se peti velle Dauides dixit, dummodo iustam inimico dedisset causam tam ferociter fauendi. Quamquam autem non minima veritatis specie haec interpretatio sese commendat; mea quidem ex sententia nimis longe

C 3 arre-

(q) 2 Sam. XVI. 7. sqq.

arrepta esse videtur, praefertim, cum ἐξεργασία in subsidium vocata, alia euasura sit, contextui propius accedens. Per כָּבֵד enim, si quid iudico, Dauides potius animum quam honorem intelligere vult, qua in sententia frequens huius vocabuli hac in significatione usus me confirmat. (r) Accedit animum esse praecipuam hominis partem, qua honor illi conciliatur, quoque pretiosius Dauides (volebat autem pretiosissimum amittere) perdere nihil posset. Neque explicationi huic obstare posse arbitror, quod summus ille Psalmorum interpres GEIERS (s) mouet, qui multum incommodi hac ex interpretatione oriri, sensumque emergere difficilem existimat, cum animam in puluere habitare vix dici possit. Salua enim, quam Viro optimo quiuis debet, veneratione, affirmarem, ipsam Hebraicam locutionem a partibus meis stare. Non enim vna eademque vis locutionibus שָׁכַן לְעֵפֶר & שָׁכַן בְּעֵפֶר inesse videtur, sed diuersimode explicandas esse arbitror. Illa enim significat summa in tristitia versari, quia eiusmodi gestus, alias per phrasin שָׁכַח בְּעֵפֶר expressus, manifestum praesentis luctus erat signum. (u) Haec autem, quae conspirat cum illa IOBI (u) לְעֵפֶר אֶשְׁכֵּב nihil aliud infert, quam e medio aliquem tollere, interficere, & in sepulcrum aliquem deiicere. עָפַר enim saepissime pro morte & sepulcro variis

(r) Gen. XLIX, 6. Pf. XVI, 9. XXX, 6. LVII, 8.

(s) in Comm. ad h. l.

(t) vid praeter alios laudatum GEI-

ERUM de Luctu Hebraeorum C. 9. p. m. 227. sq.

(u) Job. VII, 21.

arvis in locis fumitur. (x) Neque vrgendum est, animam non detrudi posse in sepulcrum, quippe quae non moriatur, sed in perpetuum duret, cum frequens stili biblici vsus nos doceat, animam tanquam praecipuam hominis partem, quae omnium actionum & vitae rationem continet, loco hominis vsurpari. (y) Egregie autem nostram sententiam corroborat ipse Dauides noster (z), qui de piis in manifesto mortis periculo constitutis canit **שָׁחָה לְעֶפֶר נַפְשֵׁנוּ** incuruata est anima nostra ad puluerem, i. e. parum abfuit, quin e mortis faucibus erepti simus. Quare nullus dubito, Dauidem hoc quoque in loco animam indicare velle, cui sententiae **LVD.** etiam de **DIEV** calculum adiecisse **ex GEIERO** constat. (a)

§. X.

Dubius haereo, vtrum ad hanc locorum classem referam nec ne? tritum illud **Pf. XXXIII, 6.** dictum, quod in fonte sic conceptum legimus.

בְּדַבַּר יְהוָה שְׁמַיִם נִעֲשׂוּ וּבְרִינָהּ פִּי כָל צָבָאִים :

Omnes enim, qui sacrosanctam Theologiam vel ex limine tantum salutarunt, non ignorant, duplici in causa adhiberi haec Dauides verba a plurimis Viris, qui fidei nostrae capita vel delinearunt, vel fusius explicarunt. Vtuntur nem-

(x) Gen. III, 19. Pf. XXX, 10. Eceles. XII, 7.

(y) vid. saepius iam laudatum **FLA-**

CIVM l. c. p. 40.

(z) **Pf. XLIV, 26.**

(a) in **Comm.** ad h. l.

nempe eis tum ad probandum, S. S. Trinitatis mysterium in V. T. fuisse notum (b), tum vnamquamque diuinitatis personam in opere creationis non fuisse otiosam, sed aequalibus viribus huius vniuersi productionem effecisse (c). Quod vt demonstrant, omnibus viribus contendere fatagunt, רַבֵּר respondere Chaldaico vocabulo מִימַר, itemque λόγῳ Iohannis, (d) quorum prius, si non in omnibus, quibusdam tamen in locis, posterius autem semper Messiam indicaret. Per רִיחַ פִּיֹּו autem nil aliud intelligi posse autumant, quam Spiritum Sanctum, qui Mosis testimonio a quo incubasse legitur (e). Quamquam autem Viris his libenter assurgo, vix tamen a me impetrare possum, qui hanc explicationem & textui & locutioni Hebraeae conuenire crederem. Equidem non negauerim מִימַר Chaldaeorum ex vsu sequioris aetatis Messiam non obscure significare, quamquam DANZII obseruationem, qua nonnuncquam loco pronominis relatiui vsurpatur ipsa Paraphraseos lectione confirmatam videmus; neque affirmarem, alium, quam Christum a Iohanne vocabulo λόγῳ, innui; sed hoc tantum volo, quod explicatio haec Dauidis verbis non quadrare videatur. Ne tamen ipse summis doctrinae nostrae capitibus aliquid eripere videar, monendum duxi,

de

(b) vid. e.g. b. BVDDVEM in Inst. Theol. Dogm. L. II. c. I. p. m. 351. ¶
 (c) Cfr. e.g. b. HOLLAZIVM in Examine Theol. acroamatic p. 352. edit. Telleri.

(d) Ioh. I. 1. 2. 3. 14.
 (e) Gen. I. 2. adde G'EIERYM in Comm. ad h. l. T. I. p. 552. & PFEIFERVM in Dubiis vixatis Cent. 3. loc. 6. p. 586.

de indubia eorum veritate Viros in Theologia summos iam satis prospexisse, ut aduersariis nostris nullum superesse possit veri nominis dubium. Extra oleas autem vagarer, si, quae alius messis sunt hic colligere vellem, unde ad ipsum potius sensum, ἐξεργασίας ope eruendum, me conuertam. Vult autem Dauides piis argumenta proponere, quibus inducitur DEI honores celebrare, eumque laudibus extollere deberent. Hanc ob causam fidem DEI, in promissis datam, summeque expletam, laudat, qua cum iustitiam arcto connectit vinculo. Has eius virtutes excipit infinita vis omnia efficiendi, nullis adstricta terminis, cuius per applicationum terra & coelum, vel si maius, omnia; (f) facta sint. Describit autem illam, modo illi non infrequenti, duabus propositionibus, a se inuicem non multum diuersis. Coelos enim factos esse canit per יהוה רבך, vbi quid sit רבך vniciuique statim patet, aeterna nempe DEI voluntas & decretum, omnibus quae ad sunt, rebus, vires naturamque iis conuenientem largiendi. Hoc enim modo explicandum esse inductione locorum probari potest, id quod etiam ostendit, superatus a nemine (vti REIMANNVS iudicauit) (g) codicis sacri interpres MATTH. nimirum FLACIVS (h). Exercitus autem caelorum, i. e. omnia, quae ad coelum pertinent, corpora scilicet totalia, solem, lunam, stellas, ceteraque (i) addit
crea-

(f) Gen. I, 1. Ies. XLV, 12. XLVIII, 13.

(g) in Catal. Hist. Critic. p. 24.

(h) in Clavi T. I. p. 804. sq. cfr. Luc. XIX, 22.

(i) Gen. II, 1.

creatos esse per רויח פיו, vbi variis de causis, praeter ipsum verborum nexum nihil aliud intelligere possumus, quam quod praecedenti membro per רבך erat indicatum. In medium producimus testem fide dignissimum, IERESAIAM, ^(k) qui, cum regni Messiaci iustitiam describere vellet, apprime monet, Messiam terram i. e. gentes caesurum esse virga oris sui & improbos interfecturum ברונה שפתים spiritu labiorum s. verbis suis grauissimis, vim & robur habentibus. Neque omnino mihi praetereundus videtur sacrorum virorum vsus, vocabulum פה, quod eundem cum רויח saepissime habet significatum, cum רבך connectendi, qua de re ex pluribus vnicum tantum laudabimus IERESAIAM. ^(l) Taceo denique eandem vim habere locutionem רבך שפתים, quod pro רויח שפתים adhiberi constat. ^(m) Ex quibus omnibus facile conficitur, alia tantum loquendi formula descripsisse Dauidem summam DEI virtutem omnes res vno verbo ex nihilo suo vocandi, qua in sententia praeter HAKSPANVM (quem tamen propterea castigauit PFEIFFERVS) ⁽ⁿ⁾ deprehendi etiam S.R. SCHVBERTVM ^(o) a cuius ore me in praesenti pendere nunquam non laetus recordor.

§. XI.

Dauidem regium illum de Messia vatem, merito excipit filius, patre maiori non minor, cuius libri pleni sunt pro-

(k) Ies. XI, 4. coll. 2 Theff. II, 8. & Pf. XVII, 4. Prouerb. XIV, 23.
GLASSIVM in Phil. sac. p. m. 1123. (n) in dub. vex. p. 586.
(l) Ier. XLIV, 17. (o) in Inst. Theol. Dogm. P. I. C. I. §.
(m) 2 Reg. XVIII, 20. Ies. XXXVI, 4. 5. p. 10.

propositionum, quarum vna paullulum aliter sententiam effert in posteriori membro, quam altera. Exempla autem, vt dictis fidem faciamus, depromemus e libro, quem ob stilum acutiorem Hebraei משלים, quod vulgo Prouerbia redditur, dicere solent. Delibabimus vero tantum pauca, quae inter legendum obseruauimus, verum, si a nobis expectandum sit, sensum, bono cum DEO ἐξεργασίας ope indagaturi.

§. XII.

Incidimus autem primo in Prouerb. II, 18. qui ob vocabulum רַפְּאִים in posteriori membro obscuritate quadam laborare videtur, qua tamen, exergasia in subsidium vocata, facilius liberari potest. Salomon enim pro animi sui sagacitate sapientiae pretium hominibus, imprimis vero iuuentuti commendat, qua, in viam regiam ducti, salutis suae causam feliciter agere possent. Optimos igitur, quos sapientia profert, fructus, eleganter describit, stilo ipsi solemnium & ad conuincendum animum apto. Nil enim animi lectoris magis allicere, eiusque attentionem intendere potest, quam cum argumentum solide enucleetur, & vna eademque res, inculcatione digna, diuersis modis grataque specie ei proponatur. Vt autem eo magis animum in admirationem raperet sapientissimus Regum, vitia depingit, quibus turpiter frenum laxant iuuenes, verae prudentiae contemptores. Eos enim, qui voluptates amplectuntur, ostendit, male sibi prospicere, cum tandem in flore iuuentutis vitam & animum perdant. Nihil enim aliud sibi velle

peioris hemistichii verba, vnicuique patet, neque de spiri-
tuali morte hic solummodo cogitandum esse puto, quam-
quam illam non prorsus excludi debere facile arbitror. Con-
ueniunt autem, cum hoc Salomonis praecepto alia, quae in
sequentibus non obscure repetiit. Luculenter enim locutio
רָרְכִי שְׂאוֹל בֵּיתָה (p) respondit illi, quam nostro loco legi-
mus, sic expressam אֶל-מִית בֵּיתָה, cum supra cui-
cerimus (q) שְׂאוֹל & מִית & שְׂאוֹל tanquam correlata adhiberi. Al-
terum autem momentum plane conspirat cum Cap. V. (r)
vbi ait: צַעְרֶיהָ יִתְמָכוּ שְׂאוֹל, quo in loco צַעְרִים idem vale-
re ac noctum עֲגֻלוֹת, extra omnis dubitationis aleam positum
est. (s) Nil igitur restat, quam vocabulum רָפְאִים, cuius signi-
ficatio ex verborum nexu definienda, aliorumque locorum te-
stimoniis firmanda est. Descendere autem illud primo intuitur
videtur a רָפָא, quod in codice sacro sanandi notione reperitur,
vnde & (t) רָפְאִים quibusdam in locis medicos significat. (u)
Hanc autem significationem contorte tantum Salomonis di-
cto conuenire existimo. Quare cum altera potius sit quae-
renda, nullum veritati magis accedentem inueniri posse
arbitror, quam eam, quae, sicut & TREMELLIVS in ver-
sione sua expressit, mortuos indicari asserit. Assumenda
igitur est radix רָפָא, more Hebraicae linguae non infre-
quenti, in qua verba לָה & לָא dicta, saepissime con-
fun-

(p) Cap. VII, 27.

(q) vid. supra §. 8.

(r) Cap. V, 3.

(s) צַעַר enim gressum denotat i Sam.

VI, 13. XXII, 37. Prou. XXX, 10.

עֲגֻלוֹת autem orbitam sferuitam,
in qua gressus fiunt. Ps. XVII, 5.(t) vid. 2 Reg. XX, 5. Eccl. III, 3. Ier.
LVII, 19.

(u) v. Gen. L, 2. Exod. XVI, 26.

funduntur prouti praeter alios obseruauit, saepius iam a nobis laudatus DANZIVS. (x) Verbum autem דָּנָן significat remissum esse, vnde hac ex notione mortui idea eruenda est, quam etiam facili negotio deprehendemus. Mortui enim apposite dicuntur remissi, quoniam corpus morte deletum extenditur, & remissius paullo fit, quam antea erat. Quare & rectissime idem vocabulum de gigantibus adhiberi solet, quos longitudine omnes homines superare constat. Praeterea tamen ipse codex sacer aliis in locis significationem mortuorum τοῖς דָּנָן tribuit, quorum e numero laudare possumus Psalmos (y) & Iesaiam, (z) qui locus interpretes mirifice vexauit, & ridiculae pariter ac impiae explicationi miseram dedit occasionem. (a)

§. XIII.

Huic Salomonis dicto aliud, Cap. III, v. 4. exfans, iungimus, quod Exergasia feliciter expediet. Omnia enim hac in sententia redeunt ad veram שִׂכָּר טוֹב notionem, quod vocabulum Salomon copulat cum חַן gratia, & a TREMELLIO per optimos successus, a LUTHERO per *Klugheit* vertitur. Neque fane negandum est vtramque versionem com-

(x) in Litter. §. 49. II. obs. I. cfr.

Pf. LX, 4. Ier. LI, 9.

(y) Pf. LXXXVIII, II.

(z) Ies. XXVI, II.

(a) Repetenda haec sunt a ridicula LXX. Intt. versione qui transfulerunt. οἱ ἱερεῖς οὐ μὴ ἀναστήσουσι, vnde colligere quidam voluerunt, medicos non esse resurrecturos.

De mortuis autem explicandum esse locum ex v. 19. intelligitur Vid. STARKIVM in Not. sel. ad h. l. quamquam DANZIVS ad Intt. §. 213. edit. mai. de idolis interpretatur. Varias ceterum sententias habet PFEIFFERVS in Dub. vex. p. m. 701.

commodum satis gignere sensum, attamen, vtrum verus sit huius vocabuli significatus, nescio. Habet enim שָׂכָל, quod fateor, saepissime significationem intellectus & prudentiae, qua in re cum בִּינָה frequenter constructum reperimus (b); quam vero cum טוב iunctum hactenus non deprehendi, & cui ipse verborum nexus obstare videtur. Commendat nempe Salomon legem diuinam, tanquam omnis felicitatis fontem atque magistram, qua obseruata, inueniretur gratia & שָׂכָל טוב in oculis DEI & hominum. Quomodo autem, quaeso? in oculis hominum, seruata lege, inueniri potest, intellectus bonus, qui iam adesse debet, cum, de legis praestantia conuictus, eam obseruandam esse iudices? nisi intellectus praestantiam sive sapientiam hoc ipso, quod legem seruas, aliis sese prodere contenderes, quam quidem interpretationem libenter arriperem, nisi longius paullo petita esset. Mihi igitur per שָׂכָל טוב a Salomone indicata videtur fama bona, quam homo, pietatis legisque diuinae studiosus, sibi apud omnes conciliat, quorum ex animis non omnis recti verique sensus profus exulauit. Confirmant hanc interpretationem & ipse Salomon & diuus pater eius Dauides. Ille enim, (c) de iis, qui שָׂכָל טוב habent pronunciat, quod inuenturi sint gratiam; cum e contrario בְּנֵי־רוּם, praeuaricatoribus, i. e., qui vitiiis dediti omnium in se conuertunt odium, (d) maneat durities, i. e. vt nullo in negotio ab aliis aestimentur. Hic autem, iis, qui timorem

DEI

(b) 1. Chron. XXII, 12.
 (c) Prouerb. XIII, 15.

(d) Prou. II, 22. XIII, 2. Ier. XII. 1.

DEI initium sapientiae quaerunt שְׂכַל טוֹב tribuit, (e) quam locutionem ipse in sequentibus exponit per continuam ac sempiternam, quae inde redundat, laudem.

§. XIV.

Agmen denique claudat Cap. XVI. II. verba ultima quorum nativum sensum Exergasia, ritibus antiquis stipata, facile assequi potest. Postquam enim Rex sapiens mandatum DEI de iustis ponderibus ac mensuris inculcasset, & stateram bilancemque (f) iustam Deo placere (g) affirmasset, in maioris evidentiae gratiam addit מַעֲשֵׂהוּ כָל-אֲבָנֵי-כִּסִּים, ubi accentuum positus nos docet, vocabulum primum se- iungendum esse a sequentibus, quoniam per Rbhia diuel- litur. Quapropter, pro eo, qui hoc in nexu obtinet, (h) more vertendum est, & opus eius, DEI puta, sunt omnes lapi- des crumenaе. Opus alicuius autem dicitur, non solum id, quod ipse facit, sed etiam quod iubet, illique gratum est. (i) Per lapides autem crumenaе ipsum pondus indicatur, quia mos erat veterum Hebraeorum lapidibus, in crumenis eam ob causam inclusis, ne pulvere adperso iustam amitterent mensuram, ponderare. (k) Quilibet ergo videt, posteriori membro Salomonem specialiori tantum descriptione id in- culcare, quod summatim priori dixerat; vnde figuram no- stram non sine causa brevi hac in explicatione adhibuimus.

Habes

(e) Pf. CXI. 10.

(f) Vid. celeb. H. S. REIMARI, Praeceptoris ad cineres vsque venerandi diss. I. de differentiis vo- cum Hebraicarum in fine.

(g) cfr. Deut. XXV, II. Ezech. XLIV, 26. Prou. XI. 1.

(h) vid. SCHOETGENIVM ad Bofii ellips. Graecas p. 361. edit.

Leisn. & Eundem ad Musaeum de Heronis & Leandri amoribus v. 61. p. 59. edit. Kromayeri.

(i) Vid. 1 Cor. XVI, 10.


(k) Vid. Mich. VI, II. adde IKF- NIVM Antiq. Hebr. P. II. C. 8. §. 29. & WASERVM de num- mis Hebraeorum p. 53. a.



* * *

Habes hic, VIR PLURIMUM REVERENDE! FAVOR,
 OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA COLENDE! ea,
 quibus natali TVO, huic diei incurrenti, applaudere, gra-
 tamque TVI memoriam publice declarare volui. Illuxit
 dies, quo sexagesimum tertium aetatis, laudabiliter per-
 actae, annum absoluis, annum inquam, tanto semper in-
 pretio habitum, vt magnum illum, quem totus orbis lite-
 ratus magni facit, SALMASIVM, peculiari ac erudito li-
 bro eum describere non poenituit. Absoluis annum omni
 memoria dignum, publicumque pietatis meae monumen-
 tum suo quasi iure poscentem. Tanta enim sunt TVA in
 me merita, tantus fauor, vt tacita eius consideratio, qui
 in gratam me rapit admirationem, nullo modo illi aequipa-
 rari possit. Accipias igitur velim, quae neque expolito,
 neque diligenti calamo in chartam conieci, more TVO, id
 est benevole, & ignoscas erroribus, qui literis meis facile ir-
 repperunt. Quae si impetrauero, efficies certe, vt & bene-
 ficis TVIS, mihi exhibitis, magnus adiciatur cumulus, &
 me facti, non leuis audaciae speciem prae se gerentis, nun-
 quam poenituerit. Eueniat igitur hic dies saepissime TVI
 laetus atque faustissimus: sint omnes TVI, quos ad summi
 Numinis honorem suscipis labores, felices: seruet TE re-
 rum humanarum arbiter ad seram vsque aetatem, vt eccle-
 siae sis ornamento, genti TVAE splendidissimae voluptati,
 mihi denique perpetuo virtutum TVARVM admiratori, pa-
 trocinio non contemnendo. Vale.

Pag. 5. pro eadem B. L. legat eandem, & pro 7 in quibusdam vocabulis
 substituat 7. p. 18. pro iusta leg. iustae. p. 21. l. 20. pro ipse leg.
 ipsi. p. 28. pro nullum leg. nullam.



AB: 153369

ULB Halle

3


004 153 987



Sb,

R







VARIA
V. T. LOCA
OPE EXERGASIAS
EXPLICATA

QVIBVS

VIRO PLVRIMVM REVERENDO

PETRO WICHMANNO

VERBI DIVINI AD AEDEM D. MAR. MAGD. MINISTRO

FIDELISSIMO

FELICEM ANNI LXIII. EGRESSVM

GRATVLATVR

IOANNES HENRICVS MVTZENBECHER

S. S. THEOL. CVLTOR.

HELMSTADII

STANNO DRIMBORNIANO MDCCLIII.

